

1203 exules reverterentur : ipsi Veneto magistratui , eorum Ecclesia Gradenſi Antiftiti pareret : cæterum quotannis mille cunicolorum pelles Veneto Duci dono mitterent . Dum hæc in Dalmatia geruntur , Veneti interim Gallique Ionio primo , inde Ægeo , Helleſpontoque emensis , ad Bosphorūm , qui Thracius dicitur , pervenerant .

*Byzantium
descriptio.*

Sed hic de loco , deque urbis situ , ut magis perspicua sint , quæ postea dicentur , pauca a nobis sunt referenda . Byzantium (quam Constantinopolim postea a Constantino , qui eam auxit , novaque imperii fede ornavit , dictam manifeste conſtat) a Pausania Spartanorum Rege conditum Trogus tradidit . Est urbs ipſa adeo opportuno loco ſita , ut Megarenses Calcedonis conditores , quæ e regione Byzantii fuit , oraculo Apollinis cæci judicati ſint : quod tam locuplete ripa omiſſa , ubi poſtea Byzantium fuifet conditum , ſterilem ædificandæ urbi locum optaſſent . Maris angustias quingentorum paſſuum latitudine , haud procul hinc ſe arctantis Thracium Bofphorus , a perviis boum meati bus appellatum tradunt . Habet urbs ipſa ad septentriō nem ſinum quinquaginta ſtadia ab alto ad occafum proten tum : ad aditum cuius brevi intervallo hinc Byzantium , inde Pera (quam a breviore trajectu verbo Græco appellatam existimo) ſe ex adverſo intuentur : utrinque validiſ ſima catena deducta , impositoque ad utrumque caput præ fidio , aditum hostibus Alexius ademerat . Dum hic igitur tam numeroſa hæret classis , Cretensium legati duabus ve di triremibus ad Alexium venerant , Cretam iſſulam illi publico nomine dedentes . Eam benigne acceptam Bonifacio Monferratensi , viro impigro , avitaque consanguinitate ſibi propinquo puer habendam tradidit . Catena interim non prius perrumpi potuit , quam validiſſima navis (Aquilam vulgo nuncupatam ferunt) cæcia vento impulſa , magna que forcipe adjuta , in illam fit invecta . Ea diſcuſſa , potiti Veneti ſinu , omnes externas copias in terram expoſuere : ac confeſtim urbs terra marique obſideri cœpta eſt . Sed ſub primam obſidionem Theodorus Lascaris , Imperatoris gener , cum co piis quibus præterat , eruptione ex ur be re-

*Expugnatio
Byzantii.*